

*Et qua non gravior mortalibus addita curis  
Spes, ubi longa venit.*

Et V. Theb. 33. *o miserae! quibus hic furor additus, o nox!*  
Et Sen. Agam. 589.

*Heu! quam dulce malum mortalibus additum  
Vitae durus amor.*

ad quem locum notata Gronovii commendat.

Et cum per otium redirem ad lectionem Drakenborchianae Editionis, obtulit se diligentia Nic. Heinsii ad Sil. III. 350. quae, ut pauca referam, haec congeffit: rabiem *addiderat* pueri patrius furor. Fastis labem *addere*. *Addere* mentibus iras. *Addere* invidiam Cannis &c.

Per Fidem Candidam, vir doctissime, quae *crux*, in tanto auctororum concentu, cum vulgo Interpretum locum Maronianum sic constituere & explicare: *Et Juno Teucris addita* (in perniciem) *nusquam aberit*.

At vero fallimur. Viro Celeberrimo numquam forte in mentem venit, ut ob significationem & interpretationem vocis *additus* locum hunc pro deposito & conclamato habeat. Si enim vocem *additus* crucem figere causabitur, annon etiam magis cruciabit phrasim *aderit*, quam ipsemet retinet. Legit: *Nec Teucris Juno usquam aberit*. Non *abesse* itidem in bonam valet partem. *Æn* II. 620. Venus ad *Æneam*:

*Eripe, nate, fugam, finemque inpone labori.  
Nusquam abero.*

Quid, si ne sic quidem stomachi Critici fastidium deteximus, forte Vir doctissimus, missa phrasi, in sententia insipidum quid sensit. Videtur idem enim bis dici a poëta: *Juno addetur Teucris*. *Juno non aberit a Teucris*.

Dabit veniam Criticus, imo Lector. Indulgendum est divinationibus. Sic enim optime cruciantur Vindices locorum veterum, cum quid accusatorie molesti Dictatores vitio vertant, vel crimentur, explorare nequeunt. At si Delio natatore non adverso utemur, forte difficultas haec *μεγάλην* in Critico nostro habuit *ρόσην* ad lectionem veterem exsilio multandam.

Quomodocunque res se habeat, facile vel sic nos expediemus. Primo, potest Juno adfixa & addita esse Trojanis, sed non ubivis. *Nusquam aberit*, ubivis imminere Junonem additam infert. Dein, similia explanationum & intentionum exempla familiaria sunt auctoribus.